

Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti. Quam necessarie autem, quàm providenter et salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientiae suae animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, et se extollendo plus pereat, instruitur et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique et Joannes in epistola sua monet, dicens: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. In epistola sua utrumque complexus est, quod et rogare pro peccatis debeamus, et impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo et fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suae reservantem. Quia qui orare nos pro debitis et peccatis docuit, paternam misericordiam promisit et veniam secuturam. Adjunxit planè et addidit legem, certa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod et ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus; nisi et ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco et alio in loco dicit: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Et qui servus post dimissum sibi a Domino omne debitum, conservo suo noluit ipse dimittere, in carcerem religatur. Quia indulgere servo suo noluit, quod sibi a Domino indultum fuerat amisit. Quae adhuc fortius Christus in praeceptis suis majore censurae suae vigore proponit: Cùm steteritis, inquit, ad orationem, remittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et pater vester, qui in coelis est, remittat peccata vestra vobis: si autem vos non remiseritis, neque pater vester, qui in coelis est, remittet vobis peccata vestra.